

HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLIS

BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0551

Venerdì 22.09.2000

LETTERA DEL SANTO PADRE AL SUO INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI CONCLUSIVE DEL SINODO DELLE DIOCESI DELLA BIELORUSSIA (MINSK, 29-30 SETTEMBRE 2000)

LETTERA DEL SANTO PADRE AL SUO INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI CONCLUSIVE DEL
SINODO DELLE DIOCESI DELLA BIELORUSSIA (MINSK, 29-30 SETTEMBRE 2000)

In data 2 settembre 2000, il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato l'Em.mo Card. Camillo Ruini, Suo Vicario Generale per la Diocesi di Roma e Presidente della Conferenza Episcopale Italiana, Suo Inviato Speciale alle celebrazioni conclusive del Sinodo delle Diocesi della Bielorussia, in programma a Minsk nei giorni 29 e 30 settembre 2000.

Il Cardinale sarà accompagnato da una Missione composta da:

- S.E. Mons. Kazimierz Wielikosielec, O.P., Vescovo Ausiliare e Vicario Generale della Diocesi di Pinsk;
- S.E. Mons. Cyryl Klimowicz, Vescovo Ausiliare e Vicario Generale dell'Arcidiocesi di Minsk-Mohilev;
- Rev.do Mons. Frantisek Kiselj, Vicario Generale della Diocesi di Vitebsk;
- Rev.do Mons. Julio Murat, Segretario della Nunziatura Apostolica a Minsk.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre al Suo Inviato Speciale, Card. Camillo Ruini:

Venerabili Fratri Nostro

CAMILLO S. R. E. Cardinali RUINI

Nostro pro Romana Diocesi Vicario Generali

Spectabilis dilectaque in Bielorussia Ecclesia per sacram synodum celebrandam quaedam pervestigare contendit et factitare quae in omnium fidelium beneficium largiter recidant. Adlaborantibus inibi sacris ministris,

religiosis laicisque, Evangelii salutare monitiones copiose subministrari denuo coeptae sunt, ipsaque Ecclesia tutum felixque ingressa est iter, ut, bene iuvante Domino, uberem profectum assequeretur.

Convenit igitur ac permagni refert ut eventus hic congruenter commemoretur et optimo iure extollatur. Celebratio enim haec copiam dat et facultatem non huius rei dumtaxat magnificandae, verum etiam animos ad ferventiorum religionis sensum, clariorem fidem certioraque proposita permovendi.

Postulatis idcirco Venerabilis Fratris Nostri Casimiri S. R. E. Cardinalis Swiatek, Archiepiscopi Minscensis-Mohiloviensis, subvenire cupimus, qui a Nobis fidenter missum flagitavit ad XXIX-XXX diebus mensis Septembris finem sollemniter imponendum Synodo ibidem celebratae, ut inde fere sumentes vim, Minscensis-Mohiloviensis, Pinskensis Latinorum, Vitebscensis Sedes, dissipatis quibusdam adversis condicionibus, uberiores fructus eventuro de tempore fundant.

Quocirca ut ritus hic spectabilius efficaciusque evolvatur, ad te, Venerabilis Frater Noster, cogitationem convertimus, qui Nostra pro Romana Ecclesia Vicariam operose geris personam, qui prorsus idoneus occurris ad ministerium hoc praestandum et luculenter explendum. Itaque permagna moti affectione, te *Missum Extraordinarium* renuntiamus et constituimus ad sollemnem ritum illum quo synodus antedicta ad exitum adducetur.

Universis igitur participibus hominibusque inibi cunctis voluntatem Nostram benignam Nostramque dilectionem ostendes, cum quamvis longo spatio separemur adsimus spiritu praesentes. Pastoribus inibi fidelibusque cunctis, Magni Iubilaei spiritalibus repletis fructibus, Nostro nomine Nostraque auctoritate Benedictionem Apostolicam impertias velimus, quae sit animorum renovationis signum et felicitatis aevi documentum.

Ex Aedibus Vaticanis, die I mensis Septembris, anno MM, Pontificatus Nostri altero et vicesimo.

IOANNES PAULUS II

[01909-07.01] [Testo originale: Latino]
